

Johann Fecht

**Rector Academiae Rostochiensis, Joannes Fechtius, D. Et P. P. ... Ad Exeqvias ...
Virginis Mariae Elisabethae Ferberiae, Omnim Virtutum Gratiarumqve ... Qvas
Consternati Præmaturo Filiae Funere Parentes Publice Parabunt, Omnes omnium
ordinum dignitatumq[ue] cives Academicos, qva fas est, humanitate invitat : [P.
P. sub sigillo Universitatis, d. IV. Octobr. A. R. S. MDCCIII.]**

Rostochii: Wepplingius, [1703]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749477148>

Druck Freier  Zugang



Fecht, J.,

in

M. E. F e r b e r.

Rost. 1703.

64



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rostdok/ppn749477148/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn749477148/phys_0003)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rostdok/ppn749477148/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn749477148/phys_0004)

DFG

68.

78.

RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,
JOANNES FECHTIUS,
D. ET P. P. CONSIST. DUC. ADS. ET
DISTR. ROSTOCH. SUPERINTENDENS,
AD EXEQUIAS
NOBILISSIMÆ LECTISSIMÆQUE
VIRGINIS
MARIÆ ELISABE-
THÆ FERBERIE
OMNIUM VIRTUTUM GRATIARUM QVÆ
RE EXORNATISSIMÆ
CONSTERNATI PRÆMATURO FILIA FUNERE
PARENTES PUBLICE PARABUNT



Omnes omnium ordinum dignitatumq; cives Academicos,
qvâ fas est, humanitate invitati.

ROSTOCHII,
Typis Joh. Wepplingii, SER. DUC. & Acad. Typogr.

Illum mortis genus lu-



etuosius Parentibus est, qvam præter naturam qvod venit qvodammodo, eosqve extinguit, qvi eopse, qvo dedunt, tempore ordiri vitam & personam inter mortales suam omnium vivacissimè præstantissimeq; agere videbantur. Ut qvi serit arborem, magnâ que curâ per multorum annorum inter-

tervallum eandem complectitur, acerbissimo animi sensu ac dolore excruciat, cum jam trunko firmior redditæ extendere ramos incipit & protrudere gemmas, subito tamen exarescit & præsentissimâ fructuum expectatione cultorem suum defraudat: sic exanimari qvodammodo & disrumpi dolore Parentes infrequens non est, qvando in mediâ herba spes omnis, qvam de liberis suis tanquam proximam indubiamqve conceperant, præciditur, ut anteqvam annis maturuerunt nostri, nobis erepti ipsa qvâ solatia consumant. Latet nempe intra cor paternum qvidam intensissimi ferventissimiqve amoris ignis, qvi perpetuâ ebullit & cum aliquem educationis suâ fructum conspicit, ejaculari atque emicare & scintillare flammæ qvædam videntur. Qvi si inopinata morte intercipitur, introrsum qvâ convertitur ignis vis & ipsa animi interiora depascitur. Sensere fatalem hanc vicissitudinem in obitu Filiæ suæ, ipsi omnium virtutum messi proximæ, MARIAE ELISABETHÆ, Parentes, moerore qvotidiano lacerati & confecti. Cum enim amiserint præcipuam & jamjam maturam omnis solidæ delectationis, qvam habere in Filiâ poterant, materiam, cur ipsius decestu non omnia ipsis sifthorrida, deserta, muta, plena luctus & mœroris, ut nonnisi tristes confusiqve capite demissâ terram intueantur & ELISABETHULAM suam nocturno diurnaque ululatu inclament? Est hic verè Decumanus qvidam fluctus, qvi non premere pectus, sed obruere planè & mergere posse videatur. Mihi vero, qvi ut supremum defunctæ officium faciam & Parentes dolore oppressos solatiis erigam, rogatus sum, ea præcipue opera danda est, ut qvam illa duxeris

vitam & qvibus virtutibus, qvoad usqve in vivis fuit, effloruerit, ante omnia exponam. Nata fuit Kaslebumi, in prædio Paterno, die VII. Martii horâ tertîâ matutinâ, anni MDCLXXXIIX. Patre qvidem Prænobilissimo, Consultissimoqve Viro, CAROLO FRIDERICO FERBERO, celeberrimi nominis JCTo, Proprietario Domino in Kasbohm, Iickendorff & Depzow; Matre verò clarissimâ natalibus & virtutibus fœminâ, CATHARINA ELISABETHA HAUSWEDELIA. Qvâ stirpe nasci ingens eqvidem decus est, cujus tamen illustrius redditur ornamentum, si & anteriorem languinem, ex qvo procreata illa est, recensemamus. Igitur Avus paternus JOANNES LEVINUS FERBERUS est, nominatissimâ qvondam famæ Jure Consultus & Serenissimi gloriose memorie GUSTAVI ADOLFI Consiliarius, cujus Bibliotheca, ad Filium translata, adhuc hodie inter celebriores connumeratur. Avia Paterna ANNA CORVINIA. Proavus Paternus ANTONIUS FERBERUS, sub signis qvondam Serenissimi Brunsvicensium ac Luneburgensium Ducis, HENRICI JULII, Capitaneus, Dominus in Bellersheim. Proavia Paterna ANNA WEIDEMANNIA, nata ARNOLDO WEIDEMANNO, dicti Serenissimi Ducis in Greiffe & Bolzen Præfecto. Proavus Paternus alter JOANNES CORVINUS, Doctor Theologus scriptis etiam celeberrimus, Ecclesiæ Daniscæ Senior. Proavia Paterna altera ELISABETHA, NICOLAI SCHMIDES, centumviri in eadem urbe spectatissimi Filia. Qvoad maternum sanguinem Avus fuit JOANNES CHRISTOPHORUS HAUSWEDELIUS, supremi Dicasterii Meclenburgensis, dum viveret, Vice-Præses, immortalium in patriam meritorum JCus, qvem superiore anno, tertium & octogesimum ætatis suæ annum gloriose agentem, summo omnium cum dolore extulimus. Avia CATHARINA STURZIA, singularis fidei & exempli fœmina, adhuc hodie superstes, qvæ ut ante sesquiannum incomparabilem maritum, ita nunc neptem effusis lacrymis deplorat. Proavus maternus ex unâ lineâ CONRADUS HAUSWEDELIUS, plurium qvondam Ducum atqve Principum Consiliarius. Proavia ANNA MARIA KAYSERIA. Ex alterâ Proavus JACOBUS STURTZIUS, Serenissi-

mi Ducis, GUSTAVI ADOLFI, Consiliarius & Fisci Advocatis.
Proavia EMERENTIA, MARTINI GERDEII, Consulis Gü-
stroviensis Filia. Ex hoc tam splendido virorum foeminarumq;
genere descendens MARIA ELISABETHA nostra oblata pri-
mum DEO in sacro Baptismi lavacro & solennibus precibus
consecrata est, ut ex congeniti peccati morte reduceretur in
vitam. Ex qvo tempore primum qvidem à Parentibus, mox
septimum ætatis annum ingressa ab Avo Aviâque per integrum
biennium omnibus iis scientiis & artibus sedulo imbuta est, qvæ
sexum istum decere, ornare qve in primis existimantur; nec exclu-
so qvidem affabre scribendi & calculandi supputandique artificio,
qvæ in re SCHOENFELDIUS Parchimi & PFEIFFERUS Rosto-
chii viam ipsi fidâ eruditione præriverunt. Cumqve hymnorum
canticorumq; qvæsi à naturâ delectatione teneretur, musicis
qvoqve instrumentis ludere & desiderium ardoremq; suum
DEO psallendi vocis modulatione fidiumq; & chordarum apto
jucundoq; motu testari edocta est. In qvibus universis eam
ostendit indolem & naturæ ad capiendas omne genus virtutes
fœcunditatem, ut in omni gestu & habitu, cum præcipue ac-
cederet oris venustas, morumq; nitor, amoenitas leporq; elu-
ceret & ex primis laudabilium conatuum acuminibus jam her-
bescens omnigenarum virtutum segetis futura messis appareret.
Poteratq; ad singularem laudem eò facilius asurgere, qvod in
matre domi assidue absolutissimum morum intueretur exemplum
& apud Aviam qvoq; ad omnem decori & elegantiae legem
componeretur. Ad hanc enim delitâ brevi & inculpatæ mo-
destiæ & civilitatis pudorisq; laude inclaruit, ut omnium ipsam
intuentium gratiam favoremq; promereretur. Hac disciplinæ
sanctitate effectum est, ut seculi eandem non inficerent mores.
Nec enim admittere poterat, qvod domestica ratio atq; censura
improbabat. Vicissim tot tantæq; in illâ virtutes effluerunt,
ut nulla deeslet, omnes numero ordine in illâ consiperentur.
Præibat cæteras omnes DEI timor, altè ipsius animo impressus,
ut nec ullâ morbi violentiâ moveri posset, aut exturbari. Ex
qvo pietas in DEUM & officium in proximum,] Ingenua
dimirup

nimirum & reliqvas in se virtutes omnes complectens charitas effulgit, non simulata illa & externam tantum humilitatem mentiens, quali in ipsâ morum demissione plurimi superbiant, sed vera & pectoris iusta occupans, ignemque intus latenter luculentâ erga DEUM hominesque variorum operum flammâ prodens. Qvâ vitam suam ita exornavit, ut plures alias sui ordinis sexusque excelleret ac antistaret. De quo testari & liber potest, in qvem propriâ manu dictorum precumque & hymnorum farraginem in Christianævitæ usum memorie caula congeffit. Surrexit nempe in ortus suos generosum germen & in progeniem suam autores virtutem transtulerunt. Tredecim annos habens ad curandas res domesticas & gubernandam familiam traducta à genitrice est, fœminâ qvippe matronalibus virtutibus cumulatissimâ. Qvâ in re tamen ita se gessit, ut nemini gravis eslet atque molesta... Quemque enim pro suâ persona & merito proseqvebatur, parentes quidem colens ac reverens, qvorum jussa monitaque non aliter habuit ac sacras voces, ad oculorum etiam nutus parato obseqvio & prompto, cæteros humanissime complexa, fastu procul & supercilios. Ita læta promptaque ad omnne officium, qvod aut parentibus aut domus tutelæ, sibi denique impendendum fuerat, ab hujus tamen mundi inquinamentis illæsa permansit. Inter homines de cætero agere est in nosocomio vivere, ubi nihil sanum & incorruptum. Qvam facile est infici à pestiferâ aurâ atque venenum haurire? At nostra pudentem à DÉO animum & summæ castitatis, qvæ ornare hunc sexum poterat, amantem acceperat. Ut & luxum atque ostentationem, teneræ ætati alioqui familiarem, & immundas vestium corporisque munditias tantum non detestaretur, satis le nitidam speciosamque rata, si extra fordes cultus posita optimos mores vitâ præferret. In tanto variarum virtutum cursu commodè qvoque utebatur valetudine, ut negotiis, qvæ expedienda sibi fuerant, par omnino eslet, nec intenta tantum, sed & prompta. Circa superioris anni exitum die, qvi natalem Servatoris nostri insequitur, cum à sacrâ in templo Mariæ celebratis dominum rediret, grayi defluxu & capitâ tumore tentari coepit.

Xii

Adv.

Advocati in auxilium Medici, BARNSDORFIUS & GERLINGI-
US, felicissimi celeberrimiique Aesculapii, pepulerunt malum,
qvod tamen mox Depsovii recidivum eorum operam elusit. Jam
enim non capiti tantum, sed & pedibus tumor insederat, tantâ
qvidem contumaciâ, ut nullâ arte frangi se atque extingui pate-
retur. Postremo igitur tempore lecto perpetuo fuit affixa, ho-
ram, qvam libertati ipsius destinaverat DEUS, Christianâ pati-
entiâ præstolata. Qvicquid affligeret morbi, qvicquid ærumna
perduraret ac casus, constantia ac æquanimitate superavit. Edo-
cta qvippe, nihil accidere sine DEO & Divinæ virtutis esse, ve-
nerari ex toto pectori destinationes Numinis atque in placitis
ejus acquiescere libenter. Qvare post sacratissimarum Scriptu-
rarum lectionem & auscultationem manuali suo, cui per omnem
vitam adiuvaverat, cuique titulus est: Himmelsweg/ unicè dele-
ctata, ærumnarum suarum finem & melioris vitæ auspicium cu-
pidissime expectabat. Qvo sicutientis animæ desiderio, sumpto
prius ex manibus WITTENII, dexterimi Kessinenium Pastoris,
prævia seriâ ingenuaque peccatorum confessione, SS. Eucharistie
viatico, milliesque repetito suspirio: Jesu / wenn ich dich
nur habe / bin ich frey von allen Plagen / ob ich gleich
im finstern Grabe / Ruhe bis an jüngsten Tage; ite-
rumque: Ich will mich Jesu dir gänzlich ergeben /
du bist mein Eigenthum / mein Leben. Was frag
ich nach der Welt / Ich will sie hassen und meinen
JESUM allein umbfassen / infracto animo
mortem sustinuit, malo omnem industriam prædientiamque me-
dendi jam supergresso. Erat enim exquisitissima ex sacris adver-
sus mortis acerbitatem præsidia edocta. Noverat, qvam angu-
sto tramite iis incedendum est, qui ad cœlorum fores pene-
trare vellent. Nihil esse breves dolores præ gaudiis illis, qvæ
humano intellectu comprehendi non posse Paulus pronunciavit;
paucorum dierum molestias æternis voluptatibus optimè pensari.
Ita ergo ELISABETHA nostra nominis sui omen contecuta bea-
tissime in sinu DEI quiescit. Sed quid de yobis dicam, optimi
Parentes

Parentes? Sunt eqvidem in crado hoc & insperato funere tot
qvasi vix consolabilis luctus & amarissimarum lacrymarum causæ,
ut omnem tantum non doloris imaginem superare videantur.
Illa annorum innocentia, ille puellaris ætatis flos, illa deli-
cata corporis mollities, illa formæ in compositissimis mori-
bus pulcritudo, qvarum dotium aspectu veluti quotidianis
delicis recreati pastique ante fueratis, nunc ea dem subitò ex oculis
removetis, perpetuis sepulcri tenebris consepeliendas, qvam
miserationem extorquent? Illæ mentis intauinatae virtutes, illa
erga DEUM reverentia & devotio, illa erga parentes tenerrimi
affectus pieras sanctumque obsequium, ille animi erga domesticos
candor, illa omnibus beneficiandi voluntas, qvem non ad
gravissimum intimumque luctum accendant? Illa ex tantis do-
norum primitiis exspectanda messis, illa ostensorum fructuum
ubertas, illa arctissimi affectus festinata distractio, qvod deside-
rium, qvamqve immensum excitat? Qvos stimulos dolori, qvas
flagrantissimas subicit faces? Non tamen propterea, ô Parentes,
resignandum Vobis est, qvo DEO obstricti estis, officium.
Non affligit Vos DEUS, qui optimus est, non excruciat, qui
nostrî amanssimus. Experitur virtutem vestram & in se aman-
do constantiam. An is fidem duci suo servat, qui periculo ab
hoste expositus fugit? Qui ubi commissus adversario est, torpet
malè & vel otio solvit ac difflit, vel desperatione. Sacra-
mentum Christo dixistis, ne abjicite clypeum. Qvo tenacius
malum vos urget, eò fortius consistite. Implete partes Vestras,
neqve ordinem turbate fœdi transfugæ. Qvo acrius bellum est,
eò gloriostior est victoria. Qyo atrociori cum malo congressi
estis, id si intrepidi superaveritis & invicti, eò pretiosior Vobis
corona obtinet. In homine vere Christiano & heri sui disciplinæ
adsveto, vultum qvidem duriores insultus mutant, pectus tamen
& animum non frangunt. Immota stat mens, DEO tuo innixa,
qvam nec feriunt tela, nec penetrant. Hic est, qui regit omnia
& adgubernat, sine cuius voluntate nec pilus ex capite nostro in
terram cadit, qui sua cuique tata dispensat, & qvicquid nobis
adversi secundiqve obvenit, jamdiu antea disposuit & ordinavit.

Hunc

Hunc intuēri pietatis officium, hunc vénērari religio, hunc si-
ne murmure seqvī, sacramenti ratio, huic, qvicqvid de nobis
decreverit, qvicqvid nobis immiserit, semper & ubique agere
gratias, ipsa obseqvii nostri lex svadet. Durum quidem est & acer-
bum, orbari suis, præcipue qvos eousq; eduximus, ut orbi utiles,
nobis jucundi mox eslent futuri, sed impiū est, non respicere Deum,
ipsiusq; revereri nrū. Naturale est, plangere & desiderare amissos
amores, sed male amat suos, qui suis mentem unicè addicit, à
DEO verò removet. Quem nisi supra nostros etiam amamus,
DEO digni non sumus. Lugere interim ex pietate possumus, qvia
ut extincta gaudia nostra & amissas in nostris virtutes defleamus,
DEUS & natura nobis indulxit, sed ut adhibeamus modum, ut fi-
gamus metam, ut caveamus probè, ne qvod pium esse recte statui-
mus, impietas fiat. Postremò vivit adhuc, qui hunc Vobis lu-
ctum immisit. Mille sunt modi, qvibus eundem, si nec patien-
tia Vesta, nec fiducia vacillet, amplissimā gaudiorum materia
pensare possit. Vos qvoqve, Cives, justum Parentum dolorem
haud parum lenieris, si extremo erga lectissimam virginem offi-
cio defungentes in partem luctus, qvod præsentis, qvo fungor,
muneris mei nomine à vobis peramanter contendeo, accedatis. Sic
enim & Divino vos mandato, qvod cum dolentibus dolere vos
jubet, obseqvi & illustri FERBERORUM!, HAUSWEDELI-
ORUMQ. genti observantiam vestram testari, qvod summæ
vobis laudi est, ab omnibus dicemini.

P. P. sub sigillo Universitatis, d. IV. Octobr.
A. R. S. MDCCIII.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn749477148/phys_0013](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749477148/phys_0013)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rostdok/ppn749477148/phys_0014](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn749477148/phys_0014)

DFG




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rostdok/ppn749477148/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn749477148/phys_0016)

DFG

Parentes? Sunt eqvidem in crado hoc &
 qvasi vix consolabilis luetus & amarissimaru-
 ut omnem tantum non doloris imaginem
 Illa annorum innocentia, ille puellaris ex-
 cata corporis mollities, illa formæ in co-
 bus pulcritudo, qvarum dotium adspicere
 delicus recreati pastiqve ante fueratis, nunc ea-
 lis removetis, perpetuis sepulcri tenebris con-
 milerationem extorquent? Ille mentis intan-
 erga DEUM reverentia & devotio, illa erga
 affectus pietas sanctumqve obsequium, ille
 eos candor, illa omnibus beneficiendi volu-
 gravissimum intimumqve luctum accendant
 norum primitis exspectanda messis, illa oste
 ubertas, illa arctissimi affectus festinata distri-
 rium, qvamqve immensum excitat? Qvos si
 flagrantissimas subjecit faces? Non tamen pro-
 resignandum Vobis est, qvo DEO obstridere
 Non affigit Vos DEUS, qvi optimus est,
 nostri amantissimus. Experitur virtutem ve-
 do constantiam. An is fidem duci suo servi
 hoste expositus fugit? Qyi ubi commissus ad
 male & vel otio solvit ac difflit, vel despici-
 mentum Christo dixisti, ne abjicite clypeum
 malum vos urget, eò fortius consistite. Imp-
 neqve ordinem turbate fœdi transfigurare. Qy
 eò gloriösior est victoria. Qyo atrociori
 estis, id si imrepidi superaveritis & invicti
 corona obtingeret. In homine vere Christiano
 adsveto, vultum qvidem duriores insultus mu-
 & animum non frangunt. Immota stat mens
 qvam nec feriunt tela, nec penetrant. Hic e
 & adgubernat, sine cuius voluntate nec pilus
 terram cadit, qvi sua cuiqve tata dispensat
 aduersi secundiqve obvenit, jamdiu antea dis-



076

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

51

52

53

54

55

56

57

58

59

60

61

62

63

64

65

66

67

68

69

70

71

72

73

74

75

76

77

78

79

80

81

82

83

84

85

86

87

88

89

90

91

92

93

94

95

96

97

98

99

100

101

102

103

104

105

106

107

108

109

110

111

112

113

114

115

116

117

118

119

120

121

122

123

124

125

126

127

128

129

130

131

132

133

134

135

136

137

138

139

140

141

142

143

144

145

146

147

148

149

150

151

152

153

154

155

156

157

158

159

160

161

162

163

164

165

166

167

168

169

170

171

172

173

174

175

176

177

178

179

180

181

182

183

184

185

186

187

188

189

190

191

192

193

194

195

196

197

198

199

200

201

202

203

204

205

206

207

208

209

210

211

212

213

214

215

216

217

218

219

220

221

222

223

224

225

226

227

228

229

230

231

232

233

234

235

236

237

238

239

240

241

242

243

244

245

246

247

248

249

250

251

252

253

254

255

256

257

258

259

260

261

262

263

264

265

266

267

268

269

270

271

272

273

274

275

276

277

278

279

280

281

282

283

284

285

286

287

288

289

290

291

292

293

294